



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Collegium Universi Juris Canonici**

**Engel, Ludwig**  
**Salisburgi, 1693**

22. De Collusione detegenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

externo saltem arbitrariè puniri possunt, si cum scandalo aliorum propalentur & doceantur. Excusat tamen aliquando à mortali ignorantia vel simplicitas, item quòd aliquis non certam fidem, sed formidinem tantum exinde concipiat.

S. III.  
De Magia.

SUMMARIÀ.

17. Quomodo differat Magia à Divinatione.  
18. Pœne Magie & magorum, tam de Jure Canonico, quam Civili.

Sicut per divinationem petitur à demone rei occulte cognitio, ita per *magiam* aliquid operis effectio. Quare utrumque peccatum eandem fermè malitiam & deformitatem habet, scilicet societatem expressam vel tacitam cum demone, & quæ de divinatione ejusque pacto dicta sunt, etiam ad magiam accommodari possunt, ita ut illa quoque suspecta & tanquam superstitiosa ac magica censeri debeant, quæ speciem pietatis habent, si aliqua admisceantur vana & inutilia ad cultum Dei non pertinentia, v. g. quòd sacra verba debeant dici ad aures juveni regi, quòd signum Crucis debeat formari cum chara teribus ignotis, alligari tribus junculis &c. quidquid enim præter Ecclesiæ consuetudinem adhibetur ad operationem aliquam securam, quod naturalem vim non habet talem operationem efficiendi, ad magiam superstitiosam pertinet, sicut post D. Thomam. 2. 2. q. 96. a. 2. & 4. pro regulâ tradunt communiter DD. Catholici, & præ cæteris videri poterit Delrio in *speciali tract. disquisitionum magicarum*.

Pœnæ magorum & divinatorum, eorumque, qui libros de tali materiâ tractantes edunt, vel legunt, de Jure Canonico sunt censura Ecclesiastica, item incarcerationes, aliæque similes arbitrio Episcopi pro quali-

tate delicti infligendæ, prout habetur in citato *Motu proprio* Sixti V. juncto *c. si quis Episcopus. s. cum seqq. causa. 26. q. 5. & c. 2. h. t.* De Jure Civili pœna gladii constituta est in *l. 5. Cod. de Maleficis*, ex Constitutionibus verò Caroli V. qui per magiam aliis damna inferunt, igne cremari, qui autem sine damno magiam exercent, arbitrariè puniri jubentur.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

**C**ollusio hoc loco dicitur, quando accusator, & reus inter se tacite conveniunt, quòd à persecutione criminis in judicium delati desistere velint; qui tamen *collusione* vel conventionione non obstante mandatur in *h. t.* ut Judex ex officio in crimina inquireat, eademque puniat.

Hæc pertinent ea, quæ de Prævaricatoribus & Tergiversatoribus in Jure Civili ff. *Ad Senatuf. Turpil.* traduntur, & nos *supra Tit. 2.* attigimus.

TITULUS XXIII.

De Delictis puerorum.

1. Pueris & quandoque etiam minorennibus mitigatur pœna delicti.  
2. Quibus concurrentibus minoribus pœna mitigetur?

**Q**uamvis pueri doli capaces, & postquam ad annos discretionis pervenerunt, in furtis, perjuriis, aliisque delinquere possint, semper tamen in puniendis eorum delictis pœna mitiganda esse dicitur in *c. 1. & 2. h. t. & c. ult. de Sentent. excommunicat.* idque non tantum in pueris, sed etiam adolescentioribus & minorennibus, qui necdum sunt viginti quinque

000 000

anno.